BERNARDUS DE GORDONIO. MEDIZINISCHE TRAKTATE
Entstehungsort unbestimmt, 15. Jh. Seite 1v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35424
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Capitulum xxvi de fluxu sanguinis immoderato
Capitulum xxvii de morbis unguium sicut panaricium, spasmus, tepstat (?) unguium, albedo maculosa, feda citrinitas, fissura et similia
Capitulum xxviii de incendio ignis et aque calide
Capitulum xxix de ragadiis et ulceribus pedum et manuum
Capitulum xxx de itinerantibus

Capitulum primum de febribus in generali

Febris est calor innaturalis mutatus in igneum. Calor est ibi loco generis, quia omnes febres conveniunt in calore. Innaturalis caliditas differt ad differentiam naturalis, qui est conservativus; febris autem est calor corruptivus. Mutatus in igneum: istud est loco alterius differentie constitutive, quoniam quelibet mutatio et caloris intensio non facit febrem, sicut patet in calore generato propter iram aut propter exercitium; sed quando mutatio est magna et tunc leduntur operationes sensibiliter, et propter hoc dicebat mutatus, sicut dicebat G.: febris est calor naturalis mutatus in igneum. Illud autem cum [illegible] febris est quasi passio cordis, febris accensio et inflammatio spirituum qui a corde una cum sanguine transeunt ad totum corpus, calefaciunt ipsum [illegible] intrinsecus et superius, exterius et interius, nisi accidentaliter impediatur, ut in lipparia et similibus. Et quia febris omnibus morbis molestior est, sicut scribitur a G. viii de ingenio, ideo a febre dignum duximus inchoare. Illud autem triplex est febris in genere, scilicet effimera cuius subiectum sunt spiritus, et putrida cuius subiectum sunt humores, et ethica cuius subiectum sunt membra solida. Febrium autem sicut et aliorum morborum quatuor sunt tempora, scilicet principium, augmentum, status et declinatio. Cum autem declaraverimus constitutiones generum et specierum febris sicut voluimus, et cognitionem temporum morborum prout distinxerimus, de criticis diebus et paroxismorum vadat ad librum meum de prognosticatione; ibi enim cum auxilio divino fideliter aggregavimus dicta Ypo. G. et Avicenne et aliorum. Illud autem in tertio [illegible] est de febre effimera inchoare.

Capitulum ii de febre effimera

Effimera est febris ex distemperantia spirituum procedens ultra diem tertium se non extendens. Circa istam materiam v sunt intelligenda. Primum erit de causis effimere, secundum de signis, tertium de pronosticatione, quartum de curatione, quintum de declaratione.

Cause. Primum scilicet causae effimere sunt multe, sicut est fluxus superfluus cuiuscumque, ira, tristitia, fames, vigilie, sincopis et multa alia consimilia; omnia tamen ad tres species reduci possunt. Prima causa effimere sunt a causis extrinsecis actu vel potentia calefacientibus vel poros claudentibus, sicut est caliditas solis aut ignis aut balnea aut stupha cum rebus calidis aut balneum sulphureum aut aqua frigida, et breviter omne id quod claudit poros et retinet vapores. Illud autem secundum diversitatem vaporum et corporum diverse febres generantur: tamen si corpus est calidum et siccum et vapores calidi et sicci retinentur propter porum clausionem et similium, tunc de facili febris effimera generatur; si autem corpus sit calidum et humidum et vapores calidi et humidi retinentur, tunc de facili febris putrida generatur. Secunda causa effimere sunt cibi et potus et medicina calida, sicut est vinum purum forte antiquum et allea et cepe et piper et euforbium et similia, potissime in non consuetis. Tertia causa est motus animalis et corporalis, sicut est exercitium nimium et similia. Quarta causa est apostema inguinum et ascellarum et similium, et sic alie cause ad istas possunt reduci.

Sign. Signorum effimere quedam sunt generalia et quedam sunt specialia. Generalia sunt ista: effimera non venit cum rigore, et pulsus et urina modicum distant a naturali. Calor non est in tactu pungitivus et mordicativus nec multum ledens tactum, sed est sicut calor irati aut illius qui multum laboravit, et ut plurimum terminatur cum sudore humoroso naturali. Et dicit Avicenna quod si ponatur in balneo et non venit aliqua horripilatio, tunc est signum effimere. Signa autem specialia sunt ista: si provenit propter solem et similia, tunc est caput calidum et oculi sentiuntur calidi si tangantur, et facies et cutis, et pulsus accidit